



**M**Athias honestis parentibus Argentinæ natus est anno 1489. Ibi felici ingenio præditus literis & uirtutibus operam dedit, & in uirum maximum euasit. Vnde patriæ utilis ciuis factus, in senatum recipitur, atq; honestis negotijs præponitur. Erat is religioni deditissimus. Itaq; Euangelicam doctrinam summo opere promouit, atq; ut in patria esset, author fuit. Cum autem Carolus Imperator Augustæ Vindelicorum anno 1530 magna comitia religionis nomine celebraret, Mathias cum Iacobo Sturmio legatus interfuit, atq; Argentinensis reipublicæ & sociarum ciuitatum confessionem exhibuit. Causam etiam ea prudētia egit, ut ferendo respon-

so in patriam redierit. Postea quoq; cum Carolus bello Germanico uictor esset, atq; Argentinensibus grauius succenseret, quod sese huic bello immiscuissent, Mathias cum Sturmio denuo patriæ nomine legatus ad Cæsarem uenit, atq; urbe reconciliata tolerabilem pacem impetrauit. Hisce suis uirtutibus Mathias effecit, ut septies Argentinæ consul (quem Ammeysterum uocant) electus fuerit. Id quod hæcenus nulli unquam contigerat. Nec minus mirandum, quod septimum consulatum anno 1564, ætatis uero 76 tanta prudentia & sedulitate peregerit, ut nullis senectæ incommodis, nullis morbis impeditus fuerit. Itaq; cum ad rerum gubernacula sedentem indigenæ mirum in modum amant, atq; ut patriæ patrem dignis honoribus prosequuntur. Anon.